

cor meum, meipsum. Et sic erit *dilectus meus mihi*,

Cant. 2. et ego illi: ille mihi donum, ego ipsi.

PUNCTUM III.

Ascendit
Christus
ab aquâ
naturali
ad celestem.
Joan. 4. 11.
Ejus pro-
prietates.
†. 13.
Joan. 7.
38.
Eccl. 24.
29.
1 Cor. 13.
8.

Qualem aquam Christus promittat. Mulier, ut animalis, putabat de aquâ communi Christum loqui. Ait enim: *Neque in quo haurias habes, et puteus altus est: undè ergo habes aquam vivam?* At Dominus, à corporalibus ad spiritualia assurgere nos docet; et proprietates corporearum rerum, in spiritualibus excellentiùs quærere, absque imperfectionibus corporalibus. Igitur hæc aqua præstat. 1. Quia non ad tempus mitigat sitim, sed perpetuò: *Non sitiet in æternum.* 2. Quia ita explet sitim, ut aliam aquam non appetat: putâ terrena bona, quæ non sic satiant, imò fastidium etiam pariunt: non hæc aqua. 3. Fit scaturigo in ipsâ animâ, ut semper fluat. Habet enim Spiritum sanctum in se, qui est fons donorum; quem qui accipit: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Tantâ videlicet copiâ angebitur semper donis. Habet hoc gratia, ut impellat ad proficiendum. Et hoc est quod *Eccl. apud: Qui bibunt me, adhuc sitient.* 4. Salit aqua hæc in vitam æternam; illuc desideria attollit, et est illius pignus, et manet etiam in illâ vitâ: non item fides, et spes, et quæ dicuntur gratis datæ: *Caritas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuantur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Atque de hæc aquâ præ-

dictum est: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, quæ sunt Sacramenta.* Samaritana accenditur desiderio hujus aquæ; sed adhuc carnaliter intelligit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ego verò, spiritu alteram desiderabo, et petam.

PUNCTUM IV.

Disponit Samaritanam ad percipiendam aquam gratiæ, nam aperit ulcus peccati, ut se agnoscat: *Vade, voca virum tuum.* Præfert hæc mulier eas animas, quæ sensibus serviunt totæ, in quinque viris, significatis. Illam admonitionem æquo animo accipit: imò ex eo habet Christum pro prophetâ. Bonum initium conversionis, agnitio culpæ: *Quàm bonum est, correptum manifestare penitentiam! Sic enim effugies voluntarium peccatum.* Deindè vult instrui in fide: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis, quia Jerosolymis oportet adorare.* Et hoc penitentiae signum. Respondet autem Dominus, firmendas mox priscas cæremonias, et adorandi ritum; ut de iis non oporteat esse sollicitos: adventare tempus, cum non ampliùs in illis corporalibus umbris et figuris adoretur Deus; sed *in spiritu et veritate*, hoc est secundum rem in illis præsignatam. Talis adoratio est sacrificium incruentum. Locus adorationis est omnis; quia ubique Deus: *Volo*, inquit Paulus, *viros orare in omni loco, levantes puras manus: Deindè, interiora cordis: Intra in cubiculum tuum, et ora Pa-*

Isa. 12. 3.

Joan. 4. 15.

Praxis re-
ducendi
Samarita-
nam.
†. 16.

Confessio
Samarita-
næ.
Eccl. 20.
4.
Fides.
Joan. 4. 20.

†. 23.
Adoratio
qualis.

1 Tim. 2.
8.
Matt. 6. 6.

treum tuum in abscondito. In spiritu fit; quando, Spiritu sancto nos docente, et movente: et in veritate, quæ est Christus; quando excitamur ad ejus imitationem. Item in spiritu; non externo tantum habitu, aut voce, sed affectibus internis fidei, spei, amoris, obedientiæ, humilitatis: quod etiam est in veritate adorare. Nam externa, sine his, ficta, non vera est adoratio.

PUNCTUM V.

Revelat se Christus *Jouan. 4. 25.* Mira conversio Samaritanæ. Non satis apprehenderat Christi verba: undè ait: *Scio quia Messias veniat: cum ergò venerit, annuntiabit nobis omnia.* Vel ex his etiam colligitur, quòd intellexerit verba Christi de aliâ adoratione, pertinere ad tempus Messiæ. Et idem est ac si diceret. Tunc de his cognoscemus: intereà est nobis quæstio de loco adorationis pro hoc tempore. Quare Christus ei aperuit, jam venisse tempus Messiæ: *Ego sum qui loquor tecum.* Peccatrici mulieri tam disertè aperit mysterium, quod superbis pharisæis tectè: in quo insunt plura. 1. Quòd mulieris mentem ita illustraverit et moverit, ut sine dubitatione crederet id statim. 2. Quòd aquam gratiæ præbuit. 3. Quòd tanto fervore accendit, ut oblita aquæ et hydriæ, accurreret nuntiatum aliis. 4. Quòd sic humilem reddit, ut non dubitaret proferre sua peccata, ut probaret Christum esse prophetam, qui sibi secreta manifestasset propria. 5. Quòd prudenter non affirmat, sed quærit ex concivibus

mulier: *Numquid ipse est Christus: ut ita, facilius ad inquirendum inducat, etsi ipsa non dubitabat.* 6. Tantam ejus verbis Christus gratiam dedit, ut multos pertraheret. *Multos convertit.*

PUNCTUM VI.

Discipuli, qui iverant emptum panes, redeuntes, mirabantur quia cum muliere loquebatur: scilicet erat insolitum. Esto nobis ad exemplum: et, cum fit ab aliis, ne malè interpretemur; sicut nec apostoli. Renuit manducare, quòd alium cibum expecteret: *Facere voluntatem Patris, in hominibus illi lucrandis.* Sit et meus cibus, non mea voluntas, sed Dei, quem cibus vos, inquit, nescitis. Nesciunt, qui similiter non faciunt. Tandem venientes Samaritanos excepit benignè, et docuit, adeò ut multi crederent; mansitque ibi biduo: *Et mulieri dicebant: Jam, non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est verè Salvator mundi.* Tanta vis Christi sermonis, cum nullum fecisse miraculum dicatur. *Joan. 4. 27. Cibus Christi, voluntas Dci. §. 34. §. 32. Samari tani convertuntur. §. 42.*

MEDITATIO XXVII.

De Adulterâ. Joan. 8.

PUNCTUM I.

Pharisæi
tentant
Christum. PHARISÆI captant occasionem, ex mansuetudine Christi, tentandi ipsum; ut si adulteram faceret indennem, prævaricator legis haberetur. Gratulabor, quod tam mitem habeam Salvatorem. Hæc est diaboli et ministrorum ejus calliditas, ut quâ virtute quis excellit, in eâ ei laqueos tendant: si zelosus, ad ultionem; si misericors, ad nimiam indulgentiam pertrahant. Imitandus Christus; de quo dicitur: *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam...* Pr. 44. 5. *deducet te mirabiliter dextera tua; et: Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculate sunt.* Ps. 84. 11.

PUNCTUM II.

Christus
negligit
illos. Christus ad hæc, *inclinans se, digito scribebat in terrâ.* 1. Id fecit, quasi declinans judicium: ut cum aliâs dixit: *Quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Et quod Paulus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* 2. Insinuat, in talibus non præcipitandum. Sic Deus (de Sodomitis:) Gen. 18. *Descendam et videbo utrum... opere compleverint.* 3. Indicat, esse, qui digito suo scripsit legem in tabulis: Exod. 31. *eujus violatores in terrâ scribentur, ut Jeremias ait; inter quos numerarentur ipsi accusatores, dum* Jerem. 17. *perversâ* 13.

perversâ intentione accusant. 4. Credibile est scripsisse aliquid accommodatum ad rem præsentem; ut quod de hypocritâ dixit: *Trabem in oculo tuo non vides?* vel peccata accusantium; qui in accusationem intenti, non animadvertabant ad scripturam. Scribit in terrâ. Matt. 7. 3.

PUNCTUM III.

Cum perseverarent interrogantes, erexit se, et dixit eis: *Qui sine peccato est vestram, primus in illam lapidem mittat.* 1. Sapientia mira! ut neque contra legem statuatur, neque miseram condemnet. Sic aliâs, exhibitio numismate, dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: et quæ sunt Dei Deo.* Petam solertiam adversus diaboli astutias. 2. Fecit, ut sua illis peccata repræsentarentur, urgente conscientia, ad confusionem, ut desisterent ab accusatione. 3. Se rursùm inclinavit ad scribendum, quasi jam satis audissent quod revolverent, et eos ad propriam remittens conscientiam. At illi *audientes, unus post unum exhibent, incipientes à senioribus: nempe à propriâ conscientia redarguti, nec tamen resipiscentes.* Contra agendum: ut agnito peccato, accurramus ad Christum pro veniâ; non subducamus nos, in eo persistentes. Venerant conjunctim accusantes: nunc unus post unum abit, quisque de propriis confusus criminibus; primi seniores, uti peiores. Quanta in extremo judicio futura est confusio! et à sociis peccati, quod solamen? Joan. 8. 7. Prudentia in eludendo, do. Matt. 22. 21. Conscientiæ tormentum. Ne fuge, sed accede ad Christum.

PUNCTUM IV.

Secundò se erigit et adultorū respiciat. Illis profectis, erigit se iterū. Prius, ut malignos justè confunderet: jam se ut pœnitentem misericorditer liberet. Ab illis se rursū avertit; hanc in pace dimittit. Utrumque erectus facit; quia secundū rectitudinem judicii stabat. Mulier compuncta de peccato, et accusatoribus digressis, expectat Christi sententiam; quæ talis fuit: Ut siquidem nemo illorum contra eam pronuntiaverat, nec ipse condemnaturus esset; qui venerat, non judicare, sed salvare. Et dicendo: *Vade in pace*, quia verbum Dei efficax est, ab omni pœnâ liberam fecit, etiam æternâ: *Christus justificat, quis est qui condemnet?* Insuper monuit: *Noli amplius peccare*: et verisimile est gratiam ei datam, ne recideret in talia; ut et, quod accusatores nihil deinceps in eam tentaverint.

Joan. 8. 11.

Rom. 8. 33.

MEDITATIO XXVIII.

De Zachæo principe publicanorum.

Luc. 19.

PUNCTUM I.

Desiderium Zachæi, initium conversionis. INITIUM conversionis fuit Zachæi, quod desideraret videre Jesum, Deo id inspirante. Cupiam videre vivâ fide, contemplando quæ Filius Dei in hoc mundo, tanquàm Jericho mutabili, pro me gessit.

Desiderium Zachæi, initium conversionis.

De Zachæo principe public. 551

Nam si visus serpens æneus sanabat, multò magis Christus exaltatus in cruce, ritè consideratus. Porro desiderium Zachæi fuit tam incensum, ut homo ejus auctoritatis ascenderet *in arborem*, non moratus irrisores, et arborem *sycomorum*, stultam ficum; amplectens quod pereuntibus stultitia est, electis autem est virtus Dei. Imitabor ipsum.

Luc. 19.

4.

PUNCTUM II.

Caritas et misericordia Christi. 1. Compellat proprio nomine: *Zachæe*; quia licet de facie (quod spectat sensus) ignotum, noverat de nomine, quod scriptum erat in libro vitæ. Et *Zachæus* significat *purum*: sicque insinuat velle se facere, ut re etiam esset talis, non tantum nomine. Et cœpit ex hoc purus fieri. 2. *Festinans descende*. Sic jubet, quia avebat illum justificare: et cùm ardet vocantis desiderium, eo est utendum, ne tepore nostro frigescat. Indè Christo nomen datum: *Accelera spolia detrahere, festina prædari*. 3. Invitat se, et *hodie*, inquit, dum tempus est; nam cras fortè me non poteris recipere; vel ego me aliò conferam. Non omittenda occasio: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. 4. *Oportet*, quasi illius interesset, non verò nostrâ tantum. Sic amat, ut nostrum bonum pro suo ducat. 5. *Me manere*, non per transitum, sed ex proposito. Festinat adesse, non recedere, nisi expellatur. O veni, et mane, sicut promisisti: *Et mansionem apud eum faciemus!*

Luc. 19. 5.

Invitatio

Zachæi à

Christo.

Isa. 8. 3.

Ps. 94. 8.

Joan. 14.

23.

PUNCTUM III.

Luc. 19. 6. **1.** Prompta obedientia Zachæi, qui *festinans descendit, et excepit illum gaudens*. Non enim fuisset ausus vel optare tantam gratiam, qui vel videre Christum pro magno habuerat: ideò *gaudens*. Sic ego pulsanti aperiā, mecumque cœnare volenti; nec moras traham, ut sponsa, à quâ idcirco *declinaverat*. Malitia murmurantium: *Et cùm viderent omnes, murmurabant quòd ad hominem peccatorem divertisset*. Nam facillè, ab uno in omnes imperfectos, manat murmuratio. Non intelligebant officium Christi, qui venerat *salvum facere quod perierat*; et, sicut aliàs dixit, *non esse opus valentibus medicum, sed male habentibus*: ex quibus ego sum. Ergò visita me.

Apo. 3. 20.
Cant. 5. 6
Luc. 19. 7.
Mali murmurant.
Luc. 19. 10.
Matt. 9. 12.

PUNCTUM IV.

Conversio Zachæi. **1.** Sermonibus Christi totus in alterum mutatur: et si credi possit, quòd solo ingressu in domum, et præsentiâ suâ, Christus ita illum sibi demeruerit. **2.** Firmum propositum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do. Dixi, nunc capiam*. Talia debent esse nostra proposita, quæ simul executioni comitetur. **3.** Vicit se in re difficillimâ, ut dives se exspoliaret opibus, et quidem etiam non debitis. Nam mediam partem decrevit egenis: ex alterâ, si quid injustè acquisiverat, decreverat *quadruplum reddere*. Sic crebrò *apud homines aliquid impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt* per gratiam

Conversitur.
Promittitur certò.
Luc. 19. 8.
Ps. 76. 11.
Difficillia promittit.
Matt. 19. 26.

ipsius. **4.** Non jactantiæ causâ id protulit, sed demissè proponens Christo consilium animi sui, ut ab illo probaretur: quod imitari debent pœnitentes, ut à Patre spirituali dirigantur.

PUNCTUM V.

Approbat Christus: *Quia hodiè salus domui huic facta est*. Non Zachæo tantum, sed toti domui, cui profuit exemplum pœnitentiæ in capite. Itaque omnes sanctificati sunt. *Eò quòd et ipse filius sit Abrahæ*: verus filius, non carne solùm, sed imitatione fidei, obedientiæ, liberalitatis: vel etiam, quia filius Abrahæ, licèt peccator. Abrahæ enim posteritati promissa erat salus: et Christus venerat *querere et salvum facere quod ex eis perierat*. Subjunxit hoc Christus ad redarguendos murmurantes, *quòd ad hominem peccatorem divertisset*: quasi dicat: Cùm et is filius Abrahæ sit, non debuit à me negligi, qui veni aberrantes reducere. Applicari potest hæc historia ad sacram communionem. **1.** Ardens præcedat desiderium, quo magis provocatur Deus ut veniat, quàm si peteretur: præsertim cùm non peto, quia indignum me puto. Deindè conscendam arborem crucis per opera mortificationis; ex quâ videam Christum, contemplando bona quæ secum affert, quocumquè venit. **2.** Audiam ab illo: *Festinans descende, quia hodiè in domo tuâ oportet me manere*. Accurrā, parabo domum per confessionem puram, et ornabo sanctis affectibus. Et maximè dulcescat

Humiliter.
Luc. 19. 9.
Præparatio ad S. communionem:
Luc. 19. 10.
Luc. 19. 7.
Fames et sitis.
Luc. 19. 6.
Præparatio.
Luc. 19. 5.

verbum illud : *Quia in domo tuâ oportet me manere ;* volo uti hospitio tuo , et mensâ. Pascitur autem sanctis cordis nostri affectibus ; et pascit ipse nos seipso , convivâ , et convivio. 3. In gratiam hospitii magna facere proponam , firmo animo : et mox exequar , uti Zachæus , ut audire merear : *Quia hodiè salus domui huic facta est : toti domui , omnibus animæ facultatibus , ut ex omnibus amem , et serviam Deo. Amen.*

MEDITATIO XXIX.

De Cananæâ. Matth. 15.

PUNCTUM I.

— QUAM benè oraverit. 1. Insigni fide , confitens Christum , filium *David* , et potentem per se salutem dare : *Miserere mei , Domine.* 2. Magnâ caritate : *mei* , inquit , *miserere* ; malum filix suum ducens , vel etiam ex humilitate , suis illud tribuens peccatis. Hoc duplici affectu orandum pro aliis , quasi pro nostrâ , et culpando nos ipsos : ita sancti consueverunt. 3. Magnâ reverentiâ , nam procidens ad pedes *adoravit eum.* 4. Affectu magno , undè et clamabat. 5. Constantiâ , cùm toties repulsa institerit orationi. Ita orandum.

Virtutes
orantis.
Matt. 15.
22.
Fides.
Caritas
vel humili-
tas.

Matt. 15.
23.
Reverentia.
Affectus.
Constantia.

PUNCTUM II.

Christus probat mulieris virtutem. Non respondet ei verbum ; imò , quasi canem rejicit à se : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Valet ad disponendam animam probatio talis : sed nec adhibetur , nisi solidis in virtute. Probata autem sic , emittit , 1. patientia : nam duriter excepta mulier , non est turbata , aut conquesta , aut destitit orare ; 2. humilitas : nam pro cane habita , consensit : *Etiâ , Domine* , et contenta est catellorum nomine , et sorte : *Nam et catelli edunt de micis* ; 3. prudentia : nam , undè abjiciebatur , sumit occasionem urgendi petitionem suam : Quandoquidem canis sum , peto quod canibus non denegatur.

PUNCTUM III.

Christus 1. laudat. *O mulier ! magna est fides tua.* Ostendit mirificè se affectum ex fide mulieris , qui aliàs suos discipulos arguit modicæ fidei. 2. Donat : *Fiat tibi sicut vis* ; et propter hunc sermonem , vade , exiit dæmonium à filiâ tuâ. Tribuit illius sermoni expulsionem dæmonis : sermoni humilitatis tam insignis , quam diabolus exhorret.

Probat
eam
Christus.
Matt. 15.
26.

Matt. 15.
27.

Matt. 15.
28.
Laudat et
exaudit.

MEDITATIO XXX.

De servo Centurionis. Matt. 8. Luc. 7.

PUNCTUM I.

Pietas et
humilitas
centurio-
nis.

VIRTUS centurionis. 1. Pietas, quâ etiam pro servo suo tam sollicitus est. 2. Humilitas, quâ indignum se putavit accessu ad Christum; et ideo submisit pro se deprecatores alios; qui tamen eum dignum beneficio prædicârunt apud Christum, ob bona multa opera pietatis. Nam ædificabat Judæis synagogas, cum esset gentilis, et alia faciebat. 3. Fides, quâ credidit posse Christum absentem conferre sanitatem. Undè, etsi corpore non accessit, attamen fide accessit; sicut Mathæus ait: *Accessit ad Jesum centurio.*

Fides.

Matt. 8. 5.

PUNCTUM II.

Centurio deprecatur ne Christus ipse veniat. Cùm iret, et non longè esset, misit ad eum amicos, dicens: *Domine, noli vexari; non enim sum dignus ut sub tectum meum intres: propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te. Sed dic verbo: et sanabitur puer meus.* 1. Eximia humilitas quæ Deum trahit ad se: nam jam ibat Christus, et appropinquabat. Contrâ autem, regulo qui præsens rogabat ut descenderet pro filio sanando, durius respondit, et coarguit ipsum. 2. Progressus in humilitate: non

A Christo
honora-
tur.Non ideo
superbit.

effertur tali favore, quòd Christus ad se veniat; sed profundius humiliat se, idipsum deprecans. 3. Fides rara: *Tantum dic verbo.* Aptè hujus verba usurpat Ecclesia, ad sacram communionem, ad quam cum vivâ fide, et profundâ humilitate accedere oportet. 4. Mira confessio omnipotentæ Christi, ex compa-
ratione suâ: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: Vade, et vadit; et alii, veni: et venit.* Tu qui supra omnia es, quantò magis solo nutu efficies quod voles! Operabo, et petam sic habere in potestate affectus, et facultates omnes.

Matt. 8. 8.
Sed hu-
milior.Christum
exollit.
Matt. 8. 9.
Luc. 7. 8.

PUNCTUM III.

Christus admiratur tantam virtutem, præsertim in homine seculari, et milite. *Et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel, ex quo inter eos prædico Evangelium.* Totum id ad illorum confusionem, et meam; quando, pro statu meo, deberem præminere aliis. Ex occasione autem hujus hominis gentilis, prædicat gentium accursum ad fidem, reprobatis ipsis Judæis: nam Deus ingratis substituit alios. Ne mihi similiter fiat. Et tandem imperitur vota, dicens: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi: et sanatus est puer in illâ horâ, et momento.*

Matt. 8.
10.Fidem
centurio-
nis præ-
fert Ju-
dæis.Matt. 8.
11 et 12.Matt. 8.
13.

MEDITATIO XXXI.

De Sanatâ à fluxu sanguinis. Matth. 9.
Marc. 5. Luc. 8.

PUNCTUM I.

Virtutes mulieris. MORBUS erat jam planè desperatus : repræsentat peccatorem in peccata penitus effusum. Eximia extitit fides mulieris, quòd, quamvis desperatum morbum posset Christus sanare, et quidem non solùm rogatus, sed vel furtim tacto ejus vestimento, accessit, pari fiduciâ id assequendi : *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.* Item reverentia et humilitas : *Accessit retrò, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. O potentia ! Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. O si tali spiritu tangerem !*

Apta ad communionem. Ad sacram Communionem applicabo, expendens tria illa : Fluxum cupiditatum mearum, et passionum : infinitam Christi virtutem, quem tango ; et quomodò tangi debeat ; nempè fide vivâ, fiduciâ magnâ de bonitate ipsius, humilitate ob indignitatem meam, et reverentiâ majestatis illius.

PUNCTUM II.

Publicat miraculum. Christus publicat miraculum occultum, alioqui manifesta solitus occultare, ad exemplum nobis. Nunc

De Sanatâ à fluxu sanguinis. 359

autem quærit : *Quis me tetigit ? nam ego novi virtutem de me exisse.* Id fecit. 1. Ut doceret, quanti intersit quomodò tangatur. Nam turbæ illum tunc comprimebant, ut mirantes responderent apostoli : *Et dicis : Quis me tetigit ?* Multi communicant, sed non omnes hauriunt indè virtutem ; aut certè non, quam possent. 2. Voluit corrigere mulieris errorem, existimantis, Christo non sentiente, posse se ex eo percipere sanitatem. Ita scit, qui dignè aut indignè accedat, aut indevotè ; revelabitque tempore suo. 3. Improbare voluit alteram ejusdem imperfectiōnem, quâ sic occultare voluit morbum, alioqui horridum : ut doceremur nos deponere vanum timorem confusionis in detegendis oculis morbis, aut confessorio, aut aliis ubi opus est. *Est enim confusio...* adducens gloriam.

PUNCTUM III.

Christus mulierem confirmat. *Videns enim mulier, quia non latuit, tremens venit et procidit ante pedes ejus ; et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit.* Igitur metuentem ne offendisset, ac ne exueretur dono sanitatis accepto, confirmat benignus Dominus, amanter compellans : *Filia ! Solent hujusmodi timores oriri justis, ne fortè parùm dignè sumant sacram Communionem : et juvat ad humilitatem, et ad curam promovendam. Placet autem magis Deo, si accedamus humili confidentiâ, quàm si abstinea-*

mus ex timore; novit enim imperfectum nostrum.

Marc. 5. 34. Quare laudavit fidem mulieris, licet forte imperfectam, et ratam habuit sanitatem: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace.*

MEDITATIO XXXII.

De Sanato ad probaticam piscinam.

Joan. 5.

PUNCTUM I.

Vis piscinæ.

EA piscina, in qua oves sacrificandæ lavabantur, figura fuit sacramentorum Baptismi et Pœnitentiæ; quæ vim habent à Christi sacrificio. Tres prærogativæ fuerunt illius piscinæ. 1. Quod omnes morbos sanaret. 2. Quod angelus de Cælo veniebat ut moveret aquam, eique virtutem impertiret. 3. Quod primus, in eam ingressus, sanabatur. Eadem excellentiùs in nostris sacramentis insunt. Nam, 1. Sanant ab omni peccato. 2. Id perficitur virtute angeli testamenti, Christi Domini, in cujus etiam personâ administrantur. 3. Non unum tantum, sed omnes sanant ritè accedentes; sed primos maximè, seu qui majori fervore accedunt: sed et imperfectè dispositos, per solam attritionem. Quantum sit beneficium expende.

Sacramentorum vis similis.

PUNCTUM

PUNCTUM II.

Languidus à Christo interrogatur. Vidit illius præcæteris necessitatem à diuturnitate octo et triginta annorum, et quod ope destitueretur, ac ita illius miserus est. 1. Interrogat: *Vis sanus fieri?* Haud dubiè volebat, cum idè ibi esset, sed monemur duas voluntates requiri, ad obtinendam sanitatem, et Dei, et nostram. Divina in promptu est, quia invitat nos, nostra autem debet esse efficax, non velleitas tantum. Idè interrogat: *Vis?* non ait, *velles?* Et debet peccator omnem affectum peccati deponere. Atque hæc est prima dispositio, voluntas, desideriumque salutis. 2. Ex responso Languidi colligitur altera: *Hominem non habeo;* quo simul significat se velle, et non posse. Agnitio imbecillitatis propriæ sine Christo, et ejus gratiæ. 3. Præ se tulit etiam patientiam, cum non sit questus quod non juvetur. Valet ad exemplum. Cum Deus differt opitulari, et à tentationibus liberare, ferendum est patienter, et perseverandum in petendo. Nam, *cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.*

Joan. 5. 6. Jesus ultro miseretur miseri.

7. Agnoscit miseriam propriam Languidus. Patientia.

Joh. 11. 17.

PUNCTUM III.

Curatur paralyticus solo verbo, *surge*, ex potentatis plenitudine; neque fidem postulavit, nec tetigit, nec piscinæ admovit. Jubetur tollere grabatum suum, in signum perfectæ sanitatis. Ita spiritualiter, quandò anima potens redditur supra corpus, domi-

Verbo sanatur. Joan. 5. 8.

Obedien- nando illius cupiditatibus , perfectè sanata est. Obe-
tia. divit homo , et sustulit grabatum , non obstante sab-
bati religione , quia Christus jubebat. Exemplum
cæcæ obedientiæ. Quare , reprehensus , respondit :
Joan. 5. 11. *Qui me sanum fecit , ille mihi dixit. Ille tantus est ,
sufficit.*

PUNCTUM IV.

Joan. 5. 13. Christus instruit sanatum. 1. *Declinavit à turbâ ,*
Declinat docens nos vitare plausum. Deindè venit in tem-
Christus plum , quò sciebat hominem divertisse ; ut eum ins-
turbam. trueret , et Patri gratias ageret pro miraculo. Sed et
ille venerat eò , ut gratias ageret pro beneficio ac-
cepto. *Et dixit illi : Ecce sanus factus es ; jam noli
peccare , ne deterius tibi aliquid contingat.* In quo tria
Docu- peccare , ne deterius tibi aliquid contingat. In quo tria
menta. sunt documenta.

- I. Quòd peccata sint causa morborum. Id de meis
sentiam , cùm alioqui veniant etiam ad exercitium
virtutis , et Dei gloriam.
- II. Quòd monet : *Jam noli peccare* , propositum
firmum exigit. Nam alioqui , nunquàm peccare ,
etiam leviter , non est vitæ præsentis.
- III. Quòd pejora minatur , si peccet : utiquè ob
ingratitude erga Deum , sanitatis largitorem ; et
quia ostenderet non magni æstimare beneficium.

PUNCTUM V.

Joan. 5. 15. Sanatus nuntiat Judæis quia *Jesus esset qui fecit*
Pœnitentes Deum eum sanum ; nempe gratus pro beneficio. Sic Christus
laudant.

ipse aliquandò jussit : *Vade ad tuos , et annuntia il-*
lis , quanta tibi Dominus fecerit. *Docebo iniquos vias* Marc. 5.
10.
tuas , et impij ad te convertentur. Agit autem prudenter ,
Ps. 50. 15.
quia non ait : Qui grabatum tolli jussit , fuisse Je-
sum , quòd id erat Judæis invidiosum ; sed , *qui me
fecit sanum.*

MEDITATIO XXXIII.

*De Leproso sanato , et mandato , et ad
Sacerdotes misso.* Matth. 8. Luc. 5.

PUNCTUM I.

Leprosi virtutes in orando. 1. Reverentia : genu Leprosi
flexo , et procidens in faciem , orabat. 2. Fides : Reveren-
tia.
Si vis , potes me mundare , solà voluntate potes. Nec
Fides.
dubitat de bonitate , sed ne fortè ipse non sit dig-
Matt. 8. 2.
nus beneficio. 3. Resignatio suæ voluntatis ; dum Luc. 5. 12.
Resigna-
tione.
expressè non petit , sed tantùm aperit necessitatem
suam. Ergò meipsum tanquàm leprosum coram Deo
sistam , et simili affectu orabo.

PUNCTUM II.

Mundatur à Christo , in quo ostenduntur variæ Christi-
virtutes. 1. Misericordia. Misertus ejus extendit ma-
Misericor-
dium suam. Si corporalis lepræ misertus , quantò dia.
magis spiritualis ! At lepra corporalis horrorem par-
rit : sic et spiritualis , etiam ipsi Deo. Sed cùm hæc
nobis ipsis fit abominabilis , provocat misericordiam

Matt. 8. Dei. 2. Bonitas, et potentia, nam fidei dicentis :
Luc. 5. 13. Si vis, respondit : *Volo* ; profertenti potentiam : *Po-*
 Potentia.
Ps. 34. 3. *tes*, verbo præstat sanitatem : *Mundare*, esto mundus : *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum.* Nam, si dixeris, fiet. 3. Benignitas et humanitas, nam *extendens manum tetigit eum* ; cum alioqui arcerentur ab accessu leprosi, nedum à tactu. Vivificativa est caro Christi ; cum extenderit manus suas in cruce, implebit omne animal benedictione.

Psal. 44.
 10.

PUNCTUM III.

Matt. 8. Mundatus jam mittitur ad sacerdotem, ut offerat
 4. pro mundatione, quæ præcepit Moyses. 1. Apparet, quàm Christus fuerit legis studiosus ; quanto magis novæ, ut accuratè servetur. Offerebat autem leprosus sacrificium pro actione gratiarum ; et testimonium referebat à sacerdote, quòd esset mundatus. 2. Voluit Christus, per hoc, insinuare sacramentum Pœnitentiæ ; ad quod tenetur accedere quicumque extitit leprosus, licet fuerit mundatus per contritionem ; et ibi offerre sacrificium cordis contriti et humiliati, ut sententiã absolutionis et mundationis recipiat. Jubebatur autem leprosus jam mundatus radere pilos corporis, et lavare corpus, et vestimenta ; et sic offerre agnum immaculatum in sacrificium. Hi sunt fructus pœnitentiæ, lacrymarum, et mortificationis carnis, quibus ad sacram Eucharistiam disponi convenit.

Humilitas Jesu.

Comminatus est Dominus leproso, ne vulgaret.

At ille cepit prædicare, et diffamare sermonem, *Luc.* 5. 15. pro gratitudine erga auctorem beneficii. Undè et illud bonum secutum est, ut multa turba ad audiendum Christum concurreret. Nec fuit inobediens, quia instinctu boni Spiritus fecit ; et talis prohibitio est declinatio laudis, non præceptio obligans.

MEDITATIO XXXIV.

De decem Leprosis. *Luc.* 17.

PUNCTUM I.

Oratio leprosoꝝ. 1. *Steterunt à longè* : humilitatis et reverentiæ affectus. Sed et servarunt quod juebantur, segregati ab aliis. 2. *Leaverunt vocem*, dicentes : *Jesu præceptor, miserere nostri* ; ex fide, et cum resignatione, non speciatim petentes : Sana nos, sed : *Miserere.* Et orant unanimiter, quod valet ad impetrandum ; quia omnes pro singulis. *Orate pro invicem, multum enim valet deprecatio justis assidua.* Apud homines solent mendici vitare, ne simul peccant plures ; quia offendunt, et non suppetit omnibus : Deo autem placet conjunctio precum ; nec deficit idèò thesaurus gratiæ. Leprosi decem signant peccatores, ob transgressionem decem præceptorum : Domine, sicut hactenùs fuit sensus meus, ut errarem à te, decies tantum iterum convertar, ut requiram te.

Luc. 17.

12. Virtutes leprosoꝝ.

13.

Jacob. 5.

16.

Baruc. 4.

28.